

INFUSUM <sup>ſerā</sup> TINCTURA  
PAPAVERIS ERRATICI.

℞. Florum Papaveris erratici unc. iβ.  
Irrorentur

Spiritus Vitrioli gtt. xv.

Adde

Sacchari canarini unc. j.

Et infunde cum

Aquæ florum Papaveris Rhoeados ferven-  
tis libr. j.

Infusum frigeſactum coletur, & exhibeatur.

KERMES MINERALE

*ſive*

PULVIS CARTHUSIANORUM.

℞. Antimonii crudi in fruſta minora comminu-  
ti q. v.

Injice in ſartagineſ ferream.

Adde quadruplum circiter ſalis Tartari, &  
aquæ communis ſufficientem quantitatem; ebul-  
liant ſimul per tres aut quatuor horas. Dein  
ſervidus liquor per chartam emporeticam fil-  
tretur, ubi ex eodem refrigerato ad fundum  
ſecedet levis ex ruſo badius pulvis, qui aqua

M 5

pura

pura aliquoties abluendus, leniter exsiccan-  
 dus, & servandus est. Liquor a filtratione  
 restans residuo in sartagine adfundatur antimo-  
 nio iterumque coquatur, ac de reliquo, ut  
 in priori labore, procedatur. Hic labor cum  
 eodem antimonio multoties iterari potest,  
 adfusa, dum deficit, nova aqua, & post sin-  
 gulas coctiones nova semper obtinebitur dicti  
 pulveris portio, quæ portiones omnes, ut  
 supra monitum, tractandæ, tandem com-  
 miscendæ, & servandæ.

### LAPIS CAUSTICUS.

℞. Calcis vivæ part. iij.

Extinguantur cum sufficienti quantitate  
 aquæ, cui injice

Cinerum Clavellatorum depuratorum part. j.

Miscela moveatur bacillo ligneo, & filtre-  
 tur per chartam bibulam. Lixivium inspisse-  
 tur in sartagine ferrea in massam salinam, omni  
 aqua orbatam, quæ, dum super igne iterum  
 fluit, illico effundatur, vel in modulos, vel  
 super laminam frigidam. Indurata & adhuc  
 calida citissime indatur vitro exactissime clau-  
 dendo.

LA-